

**Dissertatio inauguralis medica sistens symptomatologiam et aetiologiam
febris lentae nervosae ... / [Jacobus Guilielmus Carelson].**

Contributors

Carelson, Jacobus Guilielmus.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Jo. Christ. Dieterich, [1782]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f8ee74dc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

71

91

16770/p 41651

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS
SYMPTOMATOLOGIAM
ET AETIOLOGIAM FEBRIS LEN-
TAE NERVOSAE

QVAM
CONSENSV INCLYTI ORDINIS MEDICORVM
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV DOCTORIS
AC PRIVILEGIIS CVM ILLO CONFVNCTIS LEGITIME
CONSEQVENDIS

PVPLICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT
AVCTOR
IACOBVS GVILIELMVS CARELSON

GAMRONIA-PERSA.

DIE XXII. OCTOBRIS. A. MDCCLXXXII.

GOTTINGAE,
Typis IO. CHRIST. DIETERICH.

In rebus arduis voluisse fat est.



PRAEFAMEN.

Quamquam quidem hucusque ab auctoribus arte et doctrina insignibus multa et fatis docta propofita fint super *febris illis lentis neruosis*, vt facile credere poffis, omnem rem plane effe explanatam et abfolutam: attamen compertum eft, multa adhuc fupereffe eruenda, multa latere, quae indolem, quae curfum, quae caufas morbi illius fpectant, eaque forfan altius haerere, quam vt coniecturis, quamquam ingeniofiffime excogitatis, attingi poffint. Liceat itaque et mihi, qualescunque vires impendere; aut fi fruftra laborauerim, conaminibus tamen venia concedatur. Opellae huius fequens ratio efto. Primo decurfum morbi, quoad ftadia ab auctoribus conftituta, profequi, et explanare ftudebo; dein fymptomatum accuratam hiftoriam proponam. Quorum quotquot apud auctores obuia iuerunt collegi, et in vnum contuli; non quidem ac fi crederem, haec omnia et fingula vbique febrim illam ordine illo, concomitari, fed quia, quauis etiam facie et quibusuis fymptomatibus intret febris, ex his certe fymptomatum fyrma contexitur. Nec, ni fallor, vllibi omnia illa fedulo collecta reperiuntur. Confului de illis

Bagliuim, *a*) Brockes, *b*) Demiani, *c*) Finke, *d*) Gesner, *e*) Gibson, *f*) Gilchrist, *g*) Glafs, *h*) Grant, *i*) Home, *k*) Huxham, *l*) Langrish, *m*) Macbride, *n*) Manningham, *o*) Schroeder, *p*) Selle, *q*) Stoll, *r*) Sydenham, *s*) Vogel, *t*) Willifium, *u*) Zetzel, *x*) pluresque alios, in quorum scriptis vestigia febris lentae neruofae reperire potui. Postea in causas studiosius inquiram. De quibus autem, quoniam non omnis sublata est lis, et in obscuro adhuc multa posita sunt, altius descendere audebo, et, vt licet cuilibet, vbi omnia in rationis probabilitate tantum versantur, meam quoque opinionem interponere nullus dubitabo. Quae si forte tenuia, nec satis digesta videantur, ignoscat L. B. iuuenili labori, nec indigna iudicet quaeuis, quae altius vberiusque agitentur.

§. I.

- a*) Prax. Med. Cap. de Febr. malig. mesenter.
- b*) Handbuch d. pract. A. Gl. Berl. 1771. p. 190.
- c*) Diss. de Febr. l. n. in Balding. Syll. Vol. V.
- d*) De Morb. bilios. anomal. Monast. Westphal. 1780. p. 108.
- e*) Beob. 4. Band.
- f*) Treatise on Fevers. p. 163.
- g*) Essay on Nervous Fevers, in Med. Ess. of. Ed. Vol. IV et V. P. II.
- h*) De Febris. p. 93.
- i*) Beob. über die Nat. und Heil. d. Fieber. Leipz. 1775.
- k*) Medical facts and experiments. Lond. 1759.
- l*) Operum T. I. Diss. de Febr. l. n. et T. II. Cap. VII.
- m*) Modern theory and practice of physic. Lond. 1738.
- n*) Systemat. Einleit. in d. A. 2. Th. 4. Hauptst. Leipz. 1773.
- o*) The Sympt. Nat. Cause and Cure of the Febricula or little fever. Lond. 1746.
- p*) Diss. de Variolar. distribut. Gött. 1770.
- q*) Pyretolog. Berol. 1773. p. 284.
- r*) Rad. med. T. II. p. 35.
- s*) Opera. de Nov. febris ingressu, et passim.
- t*) Praelect. de Morb. cogn. et curand. p. 89.
- u*) Op. omn. de Cerebr. pathol. p. 65.
- x*) De Amphimer. catarrhal. lent. in Comment. Lips. Vol. V. P. II. p. 407.

§. I.

Stadia febris lentae nervosae.

Auctorum, qui de hoc morbo scripserunt, plurimi, historiam pathologicam explanantes, symptomata vna serie, horumque alii ratione successus, alii nullo servato ordine, alii denique secundum varias corporis partes, quas praecipue afficere videtur, enarrarunt. Sunt autem et alii, ii tamen paucissimi, qui omnem symptomatum seriem in varia dissecuerunt stadia. CL. DANIEL tria illorum constituit, initium scilicet, augmentum, et statum, horumque cuique sua tribuit symptomata. ZEZELL quatuor illorum omnia symptomata comprehendere vult. Omnium artificiosissime autem quinque excogitavit GRANT: primum prodromis dicat; alterum constituit, quo fordes in primis viis tantum haerent, e sanguine antea secretae; tertium, quo fordes iam ex parte in sanguinem et humores receptae sunt; quartum denique, ubi sanguis incipit fordes quovis modo expellere ex eructare, per salivationem, miliaria, sudores, diarrhoeas aut dysenteriam putridam. In quibus autem periodis hisce stabilendis auctores potius theoriam, quam praxin consuluisse aperte sub oculos cadit. Raro enim, et praecipue hoc in morbo polymorpho, immo fere nunquam symptomatum series admittit sectiones istas, quibus periodi quaevis limitentur aut terminentur, et natura plane deridet eiusmodi artificiose et ingeniose excogitata stadia, cum symptomata et phaenomena morbi huius ab innumeris rebus, conditione, et dispositione corporis pendeant, hisque flexa, mutata, et terminata appareant, absque vlla plerumque servata temporis lege. Quae in his sero demum observantur phaenomena, in aliis ocyus occurrunt. Quibus nitens et ego absque ordine enumerabo symptomata, satis persuasus, ea nusquam eadem, sed alia atque alia semper serie prodire.

§. II.

Stadia genio symptomatum superfluenda sunt.

Quodsi autem necessum putetur, omnem morbi tractum varia in stadia diducere, vt medicus filum quasi ariadneum habeat, non male fieri id neutiquam censeo vel nudis titulis incrementi, augmenti, aut id genus alia, vel apparatione aliorum, aliorumue symptomatum; sed genius ille, quo series quaeuis symptomatum et phaenomenorum, quae simul eodem tempore apparent, insignitur, optimo et omnium maxime vero, morbum in stadia diducendi inseruit fundamento. Alio enim genio notantur quaeuis symptomata ante febris accessum, alio, vrgente febre, alio sub finem morbi. Stadii primi itaque genius est inertia et infirmitas neruorum, humorum circuitum promouendi, actiones animales adiuuandi, iisque, quae voluntate perficiuntur, inseruiendi, cui iuncta est eorundem sensilitas et agilitas, quocunque stimulo vel leuissimo suscitata; alterius stadii symptomata participia fiunt genii febris polymorphae; tertiumque notatur neruorum stupore. Huius initium, secundique fines aegre plerumque sub oculos cadunt; e primo autem transitus in alterum satis luculenter perspicitur.

§. III.

Bina tantum stabilienda stadia; cetera incerta, vana.

Qua de causa GILCHRISTO placuit, omnem morbi cursum binis coercere stadiis, quorum alterum nuncupat chronicum, acutum alterum. Quibus nec ego, quin subscribam, possum; eo tamen dissensu, vt morbi primarii et secundarii notam illis imponere malim. Fore fortassis credo, qui me vituperent, et in errore versari arbitrentur: qui si autem omnem rem bene perpenderint, concesserintque, intemperiem aliam aliamue illam humorum, quae stadio alteri incidit, effectum plane et sequelam esse

esse neruorum infirmitatis, aequi bonique certe ex nostrum fument assertum. Certo certius enim saltem est, optimas quasque inde erui posse consequentias, quibus summo cum emolumento vti possimus, neruoso hinc morbo lento medicaturi. Nonne inde sequeretur, vt quibus, qui morbo illi lento neruoso mederi velit, oporteat prodromis iam ipsis obsistere, omnique, qua fieri possit, cura morbo in abditis cursum persequenti occurrere antequam infirmitatem, quae neruos tenet, pedissequa sequatur mala humorum crasis, quae morbum complicatiorem, medelam difficiliorrem reddat, medendique methodum magis compositam requirat? Id quidem momentum optimorum quorumuis obseruatorum menti respondet et congruit. His itaque binis stadiis omnem absoluit cursum febris lenta neruosa. Cetera autem, quae quandoque finguntur, incerta plane sunt, et pro rerum conditione variant quam maxime. Prodromorum enim fines, incrementi limites, augmentique gradus tenebris vbique obuelantur densissimis, symptomataque, quae eorum momenta definire dicuntur, ambigua modo ocyus, serius, apparent.

§. IV.

Symptomatum historia.

Lento, atq; firmo satis gradu in abditis prorepat morbus noster, specie polymorpha notata vbique. Aegrotantes pedibus incertis obambulant, oscitantes strenue, languidi, praesertim matutino tempore, ventriculo iecuno, melius autem sese habentes, alimentis assumtis. Alias tamen mox neque cibos, neque potum appetunt, mox, quamdiu lingua non albescit, neque pars quaedam colli rigescit, fames interdum solito maior est. Victum autem animale melius ferunt, quam vegetabilem; sed post prandium sunt morosi, peiusque semper sese habent. Sub leuissimo nixu, contentione, aut scalarum ascensu anhelantes de-

lassitudine membrisque defatigatis conqueruntur; genua dolent, et spinam dorsi premit ponderis sensus. Membra subinde ex quouis motu tremunt, genuaque vacillant. Fiunt aliquo modo pigri, somnolenti, nec tamen somno delectantur, immo paulo diutius illo protracto, plumbea quasi grauitate artus occupante oppressi mane surgunt; aut fugax ille tantum, soporosus, paucioribus et phantasmatis interruptus iam mediam ante noctem auolat. Alii, quamquam quieti in lecto, oculis clausis cubantes, adstantibus somno opprimi videantur, omnimode vigilant, et per totius febris decursum somno destituuntur.

Leuem vagumque, saepe vix perceptibilem horripilationem et horrorem, intercurrente quodam instabili et errante calore, persentiscunt; molestaque illis est vniuersalis languoris species, similis illi, quae alias magnam defatigationem excipit, cum exiguis interdum doloribus transitoriis.

Alii nihil, praeter lassitudinem quandam, et languorem, de artuum grauitate et tarditate conqueruntur, pulsu fere naturali, et vrina bona, sed copiosa et spamante. Quandoque sudatiunculae adsunt, omniumque rerum fastidium.

Quae semper fere comitatur animi hebetudo et abiectio, suspiria frequentia, fletus sine ratione, metus, aegritudo et anxietas difficilis explicatu; omnes animi facultates summopere languent, et omnes actiones maxima difficultate, summisque dubitationibus meticulose peraguntur, nec per horae quadrantem animus ea qua par est attentione ad rem quandam propositam aduerti potest.

Facies singulari modo mutatur; tristis est, lurida, languida, pallida; et saepe oris nasique omnis ambitus cum vi-
rore

rore flauescens apparet; oculi immobiles, locum quendam intuentes, et visus acies valde hebetata.

Sibi ita relictī, timidi, tristitiaque sua afflicti animum deponentes omnem hominum societatem fugiunt, ut statum suum miserrimum et infelicissimum ab ipsis decantatum lacrymis, inuoluntarie saepe defluentibus, possint deplorare; de causa interrogati, nil respondent, manumque capiti imponunt, ut dolorem indicare videantur. Familiaris enim iis est vertigo, nebula ante oculos, praecipue matutino tempore, ventriculo ieiuno, et modo grauior, modo leuior capitis grauedo, aut dolor et torpor, et frigoris sensus per totum morbi cursum perdurans, et vnica saepe querela. Occupat iste nunc frontem, nunc, quod frequentius, occiput, nec raro verticem ad futurae coronariae ductum. Haec ita increscunt aucto morbo, ut ne caput ob plumbeam quasi grauitatem erigi possit. Molesta quaedam, quae verbis non exprimi potest, sensatio circa praecordia haeret, ita ut ventriculum ex prandio vel coena offensum esse putent.

Quandoque omnium fere febrium communibus, horrore leui scilicet, tremore, frigore cum colore alternante, morbus incipit; quandoque autem dolor lumborum et coccygis, aliarumue partium, subito oriundo, mali moris febrem denunciare videtur. Non raro etiam dolores artuum, quasi rheumatici, per vices, noctu grauiiores, dilacerantes distrahentes adsunt, aucto iam morbo, et subinde formicationis in artubus sensatio; imo sunt, qui solos hos artuum dolores incusant, de ceteris bene se habere asserentes. Dolores et occupant saepe ventriculum, abdomen, thoracem, vel sternum, vel latus alterutrum; non raro ex symptomatis eminent ischias et lumbago.

Interdum etiam in principio morbus plethora stipatus videtur, quamquam sanguis emissus nulla obtegatur crusta. Alii ab initio morbi etiam non raro vel continue, vel alternatim sudant, ut morbus feбри intermittenti similis videatur, praecipue si vna simul vrina copiosum demittit sedimentum lateritium, sed progressu subinde et sudor et sedimentum iterum evanescent; alii contra, cute arida, squalida, scabra, plane non sudant.

Vrina plerumque est tenuis, pallida et limpida; saepius vero instar feri lactis, vel cerevisiae secundariae corruptae, ex qua vel nihil, vel parum subsidit, sed furfuris simili inaequaliter dispersa, et mox fundum petens, mox iterum ad superficiem ascendens. Haud raro etiam vrina est fusca, vel subnigra, vel cuticula pingui obducta. Interdum autem sedimentum asperum, albidumque inest, optimam prae se gerens speciem criticam, absque vlla tamen symptomatum leuamine. Facile interim, et in magna quantitate, interdum saepius et subito evacuat; subinde vero vrina stranguriosa, uti in gonorrhoeicis, adest, quin interdum vera ischuria.

In aliis morbus mitioribus symptomatibus intrat, nec calor insignis, nec continuus vnquam excitatur; in aliis contra, dum vola manus vstionis sensum experitur, frigescent extrema, dum caput calet, algent pedes. Interdum, declarato iam morbo, genae subitaneo et fugaci rubore suffunduntur, dum nasi apex et aures frigent; ac eodem tempore sudores frigidi ad frontem guttatim haerent. Alii conqueruntur de insigni calore frontis, oculorumque, qui tamen non calent praeter modum, si manus admouetur. Alii frigoris sensum, intermittentem per diem habent, imprimis circa spinam dorsi, qui interdum cum capitis dolore alternat, aut vna cum eodem versus noctem affligit.

Pulsus per omne hoc temporis spatium aut naturali tardior, vel non multum ab eo discedens; vel et die tardior fit, versus vesperam vero acceleratur; vel mox est celer, debilis et inaequalis, nonnunquam fortis et plenus, mox iterum illico parvus, debilis, et fere inperceptibilis, tum rursus per aliquot minutula lentus, immo intermittens.

Accedit nausea, et omnium ciborum fastidium; sitis fere nulla, sed aucto morbo quandoque increfcit vna cum calore, sapore acerbo, austero, lingua tamen molli, quae iam a principio morbi raro aut nunquam ficca vel discolor apparet; interdum vero tenui albicante muco est obducta et tremula. Quandoque, vtut arida lingua et oris labia videantur, nihilo secius aeger vix vnquam de siti, sed de linguae modo calore conqueritur. Lingua desuper mox fit arida, nigra, adusta et fissa, aut glabra ex glutine veluti scrinariorum vel in ipso morbi statu, vel tandem versus finem; mox autem haud multum inarescit, nisi media solum in parte, vbi fusca est, et valde arida, luteo humidoque cum margine lateris vtriusque. Sapor quandoque vel amaricans, vel nullus. Nauseam excipiunt non raro vomendi conatus, imo vomitus ipse, vna cum praecordiorum oppressione: attamen praeter pauxillum phlegmatis cuiusdam viscidum, tenacis, insipidi, aut acidi, nihil eiicitur. Saepius etiam fieri solet, vt repente insignis oris et faucium rubor et calor, plerumque tamen absque tumore, sed cum deglutitione dolorosa obseruetur.

Interdum tussis vespertina, nocturna, ficca primo, dein crassa, tenacia, albida, viridia sputa extundens, adest. Respiratio interdum satis lenta et facilis, interdum anxiosa, anhelosa et citata, licet pulsus non eodem modo sit affectus. Abdomen aliis modice intumescit, aliis inter tussendum contrecta-

tum dolet, aliis hyftericarum in modum eructantibus tympanitice tenditur a flatibus. Alius modo ftricta, modo laxa; modo accedit diarrhoea pituitofa, cum tenefmo quodam.

§. V.

Continuatur fymptomatum hiftoria.

Sine luculento quidem periculo fic morbus repit, quidam tamen prae timore nimio mortem iam accelerare videntur, immo fomnum vix capere audent, ob vanum timorem, ne in aeternum prolabantur. Sic et hi ob ingentem perturbationem, anxietatem, phantasmata, quibus modo in fomno, modo vigilantes irritantur, vires fibi confumunt, fatumque praecipitant. Alios inopinanter lecto nunc affixos, fumme impotentes loqui aut corpus moueri piget, et vix, quomodo fe habeant, exponere valent, modoque fopore nimio detenti, modo vigiliis fere perpetuis agitantur. Nihil prorsus poſcunt interea, ne potum quidem; alimenta affumunt porrecta, fed nunquam ſponte deſiderant.

Nunc vertigo, dolor, aut grauitas capitis magis magisque increſcunt, cum perpetuo fere aurium fuſurru aut tinnitu, quae aegrum valde turbant, deliriumque vel praefagiunt, vel ipſum excitant. Delirium aliis ſuperuenit ocyus, aliis ſerius; alii intenſiori, alii remiſſiori et ſuauiori, nulli violento ſatis tenentur delirio: ſtragula attollunt, contrectant, floccos carpunt, variaque phantasmata ante oculos eſſe putant, quae capere volunt, quam ob rem perpetuo ſibimet ipſi aliena obmurmurant, vel oculis intenſis ſtudioſe quaſi aliquid adſpicientes, inter verba deſipiunt. Nec eſt continuum ſemper iſtud delirium, ſed lucida quandoque intercurrunt interualla, praefente etiam ipſo tendinum ſubſultu; ceſſat et ſubinde, vbi homines

minus

minus consuetos conspiciunt. Quandoque intelligunt quidem omnia, quae proponuntur, sed facultas ad audita respondendi deest, voxque est languida depressa; et, si pauca quidem ea-que confusa loquuntur, balbutiunt, et crescente febre tandem vox eorum ita immutatur, ut vix intelligi queant dicta. Alii sensu prorsus destituti videntur, sed vocati expergiscuntur perturbati et confusi erigunt sese in lecto, et lintea carpunt, colligunt sese quidem, suique memores fiunt, sed mox in obmurmurationem et somniculosum recedunt statum.

Vbi aegroti sese erigere tentant, oritur lipothymia, et sudores frigidi subito in fronte manuumque dorso erumpunt, et subito iterum disparent, quamquam interdum eodem tempore genae palmaeque manuum nimio aestu ardeant. Accedit tandem respiratio conuulsiva et intermittens, tendinum subaltus, et manuum tremor, et in nonnullis singulares manuum et pedum contractiones. Oculorum fit tristior aspectus, sordidusque et lucem fugiens; praecordiorum pondus et anxietas, viriumque summa prostratio magis vrgent; accedunt suspiria, animique deliquia frequentiora. Haud raro pituita tenax admodum adeo totas opplet fauces, ut strangulationem pene minitetur. Sputa interdum sanguine tincta reliciuntur, sed sine dolore exantlantur, ideoque saepius observatoris effugiunt oculos. Labia et omnem internam oris superficiem pustulae miliiformes interdum occupant, quae paulo post subsidunt, in minutula cinereaque vlcuscula commutata. Aphthae apparent modo albae, modo fuscae, nigrae. Cutim perumpunt varia quandoque exanthemata.

Improuiso denique impetu non raro profusus et colliquatius erumpit sudor vel vniuersalis, vel in partibus corporis extremis, inaequalis, parum constans, saepe frigidus et glu-

tinofus, et paulo ante mortem non raro gelidus, cum pulsu exili admodum et formicante. Alii interdum sudore, aqua quasi conferti, plane diffluere videntur, licet cutis frigidior sit, quasi in cadauere. Superueniunt deiectiones alui symptomaticae, aquosae, quandoque cum torminibus, interdum etiam sanguinolentae, immo purulentae, et cum foetore intolerabili.

Omnibus denique sensibus orbatus aeger fit stupidus, surdus, et acutissimo clamore et clarissimo lumine vix afficitur, licet in principio horum impetus ipsum mirum in modum excitarent, vt meticulosus a leuissimo strepitu terrore afficeretur. Facies fit contorta collapsa et cadauerosa, rugosa, circa oculos repit circulus fuscus, oculique ipsi fiunt depressi, peralbo obducuntur colore, ac cornea collabatur ita, vt humor aqueus plane consumtus esse videatur. Pulsus arteriarum magis obtemiscit, et sub digito repit, et impulsus adeo sunt debiles et celeres, vt vix distingui queant; interdum autem mirum in modum lentus iterum fit, repensque, vndosus, et saepissime intermittens. Sub frigidis suspiriis, imminente morte, delirium nunc profundiore finitur comate. Alui deiectiones, vrina, lacrymae inuito profluunt insignis tremor, singultus, tendinumque subsultus, et praesertim conuulsio vniuersalis scenam claudit, apoplecticaque morte aegrum e medio tollit; alii tamen etiam sine abnormibus euacuationibus sensim sensimque emaciantur et consumuntur, et placide expirant.

§. VI.

Motus febriles.

Morbum nostrum quae concomitatur febris, eidemque nomen dedit, elatior quidem quandoque est, saepius autem mitis lenisque, vt plane interdum abesse videatur, cum neque vrina, neque pulsu, neque calore corporis, neque omnibus his-

hisce notis simul appareat. Neque, et id plurimum fieri solet, statim ab initio adest, sed per aliquod dies longuidi tantum vacillant aegroti, prodromisque, ut dicunt auctores, premuntur; quibus dein, morbo iam altius progresso, saepe demum die decimo quarto superueniunt motus febriles irregulares, nec temporis ordini et legi addicti, qui dein alius aliusque generis speciem pre se ferunt. Modo mentiuntur febrem rheumaticam, intermittentem modo, modo diathesin phlogisticam; quandoque putridis, quandoque biliosis et gastricis adnumeranda febricula videtur; ubique autem corporis conditionem et dispositionem, et constitutionem epidemicam sequi solet. Quo etiam accidisse neminem inficiatorem credo, ut auctorum fere quisque, alio atque alio generis febris lentae nitens, aliam suspicatus sit causam febris nervosae, aliamque defenderit medendi viam. Quibus omnibus, historiisque morbi, quocunque ab auctore prolatis, rite perpensis, minime falsi, aut subreptitii aliquid committere mihi quidem videor, autumans, non eandem morbi, ipsius, et febris ubique causam esse, nec febrem symptoma morbi essentiale, sed epigenomenon tantum videri, eiusque causam vel foris accidere, vel morbi cursu gigni. Ex omnibus rationibus, quae hoc assertum suffulciunt, vix allatis excellunt absentia febris ab initio, serusque eius accessus, et exigua aut fere nulla conspiratio febris effectus, seu crisis inter et morbum ipsum. Qui ex eo, quo febris prodromis superuenit die, computant morbi dies, argumentum nostrum refellere forte credunt rem leuissimi momenti, sed grauiterrime errant; nunquam enim aegrotis huius generis peius prospicitur, ac eo, quod morbi initium in eo tempore positum iudicetur, cum contra certo certius exinde elucescat, morbum maius cepisse iam incrementum, inque peiora celeri pede omnia ruere. Quid? quod non temere contendere credo, aegritudinem nostram prius sanari posse quandoque, quam febris ipsa accedat,

dat, nisi prima morbi phaenomena et symptomata, ab aliis prodromi, sed falso credita, non praeteruideantur. Quae argumentum alterum explicent et confirment, paragrapho sequente explanantur.

§. VII.

Molimina naturae morbum auerruncandi.

Omniū consensu frustra omnino morbi nostri solutionem a moliminibus naturae speramus, cum rarissime certe qualibuscunque accensis motibus febrilibus crisis aliqua perfecta obtineatur; sic, ut quandoque tempus solum aegrotis mederi, hique per lyfim emergentes morbum in somno quasi transigere videantur. Febricula illa plerumque sensim sensimque, absque vlla conspicua crisi vel per sudorem, vel urinam, aliamue viam, cessat. Mirum autem non est, crises hoc in morbo nisi plane imperfectas contingere, quamquam systema neruorum maiori ac alias sensilitate praeditum sit, ut a leuissimo quasi stimulo irritari et excitari possit; cum vires eius, quibus alias vniuersum circulationis systema regunt, sint impeditae et labefactatae. Quae si autem sua non praestant, coctio ad crisin pernecessaria rite peragi nequit. Quandoque quidem alia atque alia via apparent euacuationes, cutisque eruptiones, speciem criticarum prae se ferentes, quas autem inter et morbi neruosi causam nulla, inter easdem contra et humorum intemperiem, morbi tractu acquisitam, seu morbum secundarium, summa conspiratio esse videtur. Nunquam enim constantes sunt, sed ubi contingunt, variis causis concurrentibus, complicationi, corporisque conditioni congruunt, atque ab iisdem solis pendere videntur. Neque ad statum ipsum neruosum auferendum quicquam conferunt, sed eliminando quantitatem qualemcunque humorum, cursu morbi deprauatorum, et abigendo pro parte morbi neruosi prauos esse.

effectus, statum aegroti aliquo tantum modo alleuant. Quid? quod ipsaemet quandoque symptomatice erumpunt, et in prauis morbi neruosi sequelis habentur, quae minime aegroti conditionem alleuent, sed potius in multo peiorem transferunt. In genere itaque qualiacunque molimina critica in febribus illis neruosis in bonis quidem habenda sunt indiciis, ex quibus augurari possimus, aegrotum e morbo neruoso fore emerfurum; tamen bonum illud praesagium minime praebere mihi videntur eo, quod materiam quandam morbosam eliminant, sed potius, quod ex illis bene et laudabiliter succedentibus appareat, vim neruorum antea labefactatam resuscitari, et vitio suo liberari. Nunc per singula, quae specialem prognosin, ex singulis phaenomenis et symptomatibus contingentem, spectant, breuibus procedere placet.

§. VIII.

Prognosis specialis.

Salutaris est cutis calida et humida, iuuatque persaepe per omnia membra diffusus, aequalis, moderatus, tepidusque sudor, sic, vt nonnulli, paucissimi quidem, iam die sexto aut octauo diaphoresi iudicentur, aliis autem delirium et sopor mitigetur, aut plane euanescat; et in genere aegroti melius semper sese habent, transpiratione laudabili bene succedente. Profusiores contra sudores raro, aut nunquam conducunt, sed symptomatici potius aegrotum consumunt; et pessimi ominis sunt sudores oleosi. His sese adiungunt focios exanthemata miliaria, alba plerumque, raro rubra, in his parca, in aliis conferta, tempore incerto, nec iisdem vbique locis, plerumque tamen circa collum, dorsum et pectus; quandoque et alia, quae cum purpura quam maxime conueniunt, quae totam corporis superficiem occupant. Quae tamen omnia minime critica salutanda sunt,

sunt, cum neque vllum afferant leuamen, neque febrem immi-
nuant, sed delirium proximum esse denotent. Malam nigram-
que itaque notam his fociis omnimode affixit Cl. НУХАМ,
cum viderit, neque per plurimarum septimanarum spatium per
vices reiteratam messem miliarium, sub sudore largo et pro-
tracto, ne minimum quidem leuamen, sed aut grauiorem po-
tius debilitatem aegrotis attulisse, aut saltim statum eorum in-
certum fecisse. Cl. STOLL autem, quamquam quidem in eo
consentiat, raro plenariam iudicationem afferre neque euacua-
tiones, neque exanthemata ista, obseruasse se tamen testatur, sub-
inde illa cum leuamine aegritudinis erupisse, praecipue vbi fe-
rius, et ventriculo ventreque repurgato, nec coacta, sed inter
sudores spontaneos, largos et protractos contigerint. Sic et
ex mente aliorum quandoque bona praesagiunt papulae rubrae,
copiosae, floridae, aut miliares turgidae, statu morbi erum-
pentes, praecipue vbi accedunt sputa larga, continua, aut
multa crassa coloris lateritii subsidunt in vrina; his enim deli-
rium et soporem euanescere obseruarunt. Petechiae fuscae,
atrae, liuidae, et vibicum specie apparentes, pessimi ominis
sunt, praesertim vbi accedit alius cita, plumbea, nigra, aut
sudores oleosi; signa enim sunt solutionis et colliquationis.

Neque ex vrina laudabilis vnquam veraque crisis exspe-
ctanda est; vtpote quae vix vnquam per omnem morbi de-
cursum concocta rite, sed cruda emittitur. Etsi quandoque
exacerbationes febriles profundiore colore tinctam suscipiunt,
tamen nequidquam luculenti adest sedimenti, quodque inter-
dum licet adsit, tamen ne vllum quidem adfert aegritudinis
leuamen. Pallidior et lymphidior vbi fit vrina sub comitatu
tremoris vniuersalis, tendinumque subsultus, certissime prae-
sagiri delirium, contendunt obseruatores.

Omni-

Omniū optimum praesagium esse volunt obseruatores satis copiosam saluationem, sine aphthis tamen; quae ubi incidit cum cutis moderato madore, auerruncandi morbum summa spes superest, quando debilis, stupidus et destitutus conspicitur aegrotus. Nec raro profunt et aphthae albae, benignae; mali ominis autem sunt nigrae.

Aurium abscessus, parotidum suppuratio, efflorescentiae circa labia et nares a surditate versus morbi finem suscepta, generatim in bonis symptomatibus habentur; eam enim soluere et finire solent.

Vomitio spontanea, parca, quotidiana, pituitosa accedens, boni ominis quandoque salutatur; non raro enim bene recreat aegrotum, refrigerat, alleuat caput, fallacemque faciei floridam speciem in pallorem salutarem conuertit, et oculis rubedinem absumit.

Ubi sub statu morbi lingua arida, tremula, humidior fit, sputumque accedit copiosius, signum semper creditur optimum; quodsi autem his contraria incidant, aut deglutitio difficilis, singultus, perpetui ructus, vel pectoris constrictio vrgeant, periculi plenum est.

Ambiguam plerumque prognosin exhibet aluus soluta. Quibusdam continuo quandoque fluit, nec aegroti melius, nec multo peius inde sese habent. Moderata diarrhoea interdum etiam circa decimum quartum diem, aut versus finem morbi incidens, euidentem affert utilitatem. Mirum in modum autem supprimunt deiectiones aegrotum, quocunque etiam subintrent tempore, crudae, tenues et colliquatuae; et praesertim ubi liuidae sunt, aut plumbei coloris, quaecunque earum sit consistentia, periculosum praesagiunt euentum. Ubi aluus nimis copiose fluit, perque plures septimanas tenet, vires aegroti

plane deterit, carnes absumit, vitaeque vim delet, praesertim in puellis, et ex his praecipue in chloroticis, ut morbus inde plerumque arte euadat superior.

§. IX.

De Causis remotioribus.

Omniū consensu amat haec nervosa aegritudo humidam, tepidamque atmosphaerae conditionem, loca humida et vliginosa, feruidum solem quandoque magis quam alias tempestates, corpora debilia, laxa, imbecillia. Respondent ei nervi debiles, tenuis, macer, vappidus et iners sanguis, habitusque laxus; ea de causaprehendit potissimum pauperes, hominesque mediae fortis, iuniores, feminas delicatulas, chloroticas, hystericas, omnes valetudinarios, eosque qui aegre, aut non ex toto ex alio morbo emenserunt; eos, qui ex quavis coeli mutatione maxime irritabiles sunt; quorum viscera vermibus conspurcantur; qui laxantibus et venaesectione iterata abusi, qui magnas perpeffi sunt euacuationes alias. Insequitur porro diuturna spirituum vitalium dispendia, immoderatas vigilias, defatigationes ex labore graui, moerorem, inquietudinem diu fatigantem, terrorem. metum, anxietatem continentem, aliaque animi pathemata inimica, vim animi frangentia; deinde saluationem diu protractam, venerem immodicam, lasciuias et masturbationes, puerperia reiterata eaque laboriosa; victum prauum, crudum, macrum, vappidum, ex vegetabilibus solummodo defumtum, praecipue cucumerum et melonum immoderatam ingurgitationem; potulenta vappida, vini deprauati, aut spiritus vini vsti ad ebrietatem vsque abusum; diaetam abnormem, vitaeque genus inordinatum. Denique non raro chirurgicorum morborum, qui dolore aut diuturnitate aegrotum vrgent, pedissequus esse solet. Quas euidentes foris accedentes

tes causas quisque auctorum agnoscit; sed de abditis, morbi ortui propioribus, adhuc lis est.

§. X.

De Causis propioribus in corpore latentibus.

Propiores causas in corpore latentes auctorum alii quae-
siuere in sanguine macro, emarcido, vappido, corrupto; alii in
lymphaticorum humorum lentore, alteratione; alii in pituita
coaceruata; alii in eadem putrida; alii in cerebro, vel inflam-
mationem, vel obstructions partium illius glandulosarum, vel
inundationem ab aquis, vel exulcerationes accusantes; alii in
neruis, horumque iterum alii lentorem et vappiditatem fluidi ner-
uei, alii affectionem quandam morbosam neruorum, in sensibi-
litate forsan nimia consistentem, consitentes. Viam, qua quae-
que illarum febrim lentam neruosam producat, quisque ex
mente sua, eique conueniente methodo delineauit quanta potuit
cura. Vt autem, quae ex omnibus proxima sit, vero elucescat,
non absolum puto, perpauca de singulis subiicere; ea tamen
cura, ne nimis verbose enarrem tot iam tantisque scriptis satis
vbique notis agitata et explanata.

Cerebri inflammationem accusauit imprimis HOME, cum
ipse ab eodem morbo neruoso correptus, manifesta cerebri in-
flammati signa percipere credidit; sed iam bene CL. SELLE
monuit, haec merae congestionis versus superiora effectus fu-
isse, et turgescientiam cerebri a sanguine, imo puris ipsius ibi
collectionem quandoque post mortem detectam certissime vel
morbi sequelam, vel statum complicatum fuisse; id quod eo
verisimilius videtur, quo minus aliorum obseruata de febre
illa lenta neruosa his quadrant, quoque minus methodus me-
dendi inflammationibus consentanea his conuenit. Cum autem

clarissimus ille vir iam ipse obseruauerit, huius causae non vbique signa occurrere, ad aliam confugit in obstructione partium glandularum cerebri haerentem, quam dein vbique, illa absente, praesentem autumat. Minime quidem negari potest, hanc causam subesse quandoque, viamque morbo aperire; verisimilimum tamen est, solum, et per se non sufficere, quae morbum progignat. Quibus enim ab obstructionibus si causa languentis et labefactatae vniuersi neruorum systematis virtutis salutarem humorum circuitum adiuuandi et promouendi proficiscatur, certissime nullo accidere posset modo, nisi origines premendo neruorum; qui si autem adeo mole onustarentur, longe aliis, ac obseruationes docent, symptomatibus morbus inciperet, eaque, quae summum morbi gradum, finemque comitari solent, vt stupor et sensuum abolitio, initia morbi iam insignirent. GILCHRIST accusat lentorem, visciditatemque sanguinis rheumaticae indolis, modo aegrius, modo facilius in inflammationem inclinantem, et nimiam fluiditatem sanguinis macri, vappidi et languidi; quibus autem non vbique sufficientibus addixit denique acrimoniam quandam, hisque coniunctis causis irritationes, constrictiones vasorum, spasmos et obstructiones, omniaque morbi symptomata deduxit. Visciditas illa humorum iam causa visa est WILLISIO. Pituitam assumunt GLASS et GRANT; quorum alterius ex mente fordes pituitosae ex sanguine in primis viis deponuntur, dein ex his ab illo recipiuntur, denique iterum per primos vias fecedunt pro parte. Ingeniose quidem haec dicta sunt, attamen dolendum est, virum illum nimis vniuersaliter argumentatum, causamque occasionalem tantum morbi amplexum fuisse vt causam vnicam et cuiusuis speciei febris neruosae communem. Minime negamus interea, constitutionem epidemicam pituitosis fordibus praecipue stipatam tandem et febres nostras lentas neruosas suscipere posse; sed ista non vbique praesto est causa. Quas Cl. STOLL in Ratione sua

sua medendi descripsit febres huius indolis, eadem causa stipatae erant. MANNINGHAM sedem fontemque morbi quaerit in sanguine et spiritu animali, utroque singulari quodam lentore infestato. Ex mente eius aliae sanguinis partes a causis antea dictis crassiores, viscidiores, aliae fluidiores, ac in statu naturali, redduntur, quo sanguis euadat languidus, vappidus, iners, indeque secernendo fluido nerueo inducatur lentor et vappiditas; facilius haec autem accidunt post profusiones sanguinis abnormes, et fluidi neruorum dispendia, praecipue ubi his laxitas et debilitas vniuersalis fibrarum iuncta est. Eadem plane arriident HVXHAMO, cui insuper morbosa quaedam neruorum conditio assumenda visa est.

Quo ex dissensu auctorum autem iam elucescit, ne vllam quidem ex allatis causis semper et vbique veram esse, quae morbum contineat, sed modo hanc, modo illam subesse; omnesque ac singulas illas occasionalibus tantum adnumerandas videri, quorum numerus certe permultis adhuc est augendus: siquidem Cl. SELLE illis iam addidit materiem arthriticam, quae metastatice aegritudinem illam neruosam producat. De ceteris autem, cum corruptiones istae, aut intemperies variae omnes et singulae in omni fere febris lenta neruosa ab alio, aliam aliamue morbi causam defendente, descripta obseruantur, non omni exceptione maiora sunt argumenta, quibus probare student defensores, intemperies illas vere esse causas; quid? quod certo certius assumi potest, easdem esse effectus causae morbi ipsius, aut complicationes. Vnde enim alterationes, mutationes et corruptiones istae humorum eiusmodi, ut auctores assumunt, nisi iam antea circa vires illas, humorum mixtioni, praeparationi, et digestionem inferuientes, vitium quoddam haeserit?

§. XI.

De morboſa neruorum conditione, ad quam auctores confugiunt.

Auctorum plurimi ſatis denique perſpexerunt, has cauſas non ſufficere, ſed aliquid adhuc incogniti ſubefſe, in quo verus morbi ortus conſiſtat, autumarunt; inde ad morboſam quendam neruoſi ſyſtematis conditionem confugiunt, quae autem cuius indolis ſit, ne vllus adhuc ſatis explanauit. Quam in lentore ſucci neruoſi conſiſtere dubito, cum omnes fere aegroti incipiente, et ad ſtatum vſque progrediente morbo maxime irritabiles et ſenſibiles ſunt, qui a quouis fere ſono contremiſcunt perterriti; ſiquidem fluidi neruoſi lentorem inter, et auctam neruorum ſenſilitatem certe nulla vnquam eſt familiaritas et conſpiratio. Numquid eadem in neruorum debilitate hypochondriacae aut hyſtericae indolis conſiſtat? GILCHRISTI et MANNINGHAMI historiae aegrotorum hoc ſuadere quidem videntur, quorum autem cum numerus non adeo eximius ſit, relatione earum ab aliis auctoribus promulgatarum, vt ad omnes valeat eadem argumentandi ratio, nil prorsus inde ſequi videtur, quam ſenſilitatem neruorum, febrim lentam neruoſam concomitantem, adhuc fieri actuoſiorem, vt ita dicam, aut facilius ſpeciem induere mali hyſterici, vbi iam corpora hac antea praedita aut diſpoſita fuerint. Per ſe certiſſime ſola debilitas hyſterica non continet morbum noſtrum; quot enim ſeminarum hyſtericarum nonne ad vltimum vitae halitum ſenſilitate iſta et debilitate agitantur, abſque tamen quouis alio charactere, febriculam noſtram alias designante, quamuis etiam irritamentum aſſiduum ab humoribus prauis et acrimonia inquinatis minime deficiat? GILCHRISTO quidem placuit, febriculam noſtram hyſtericae acutae, et hanc febris lentae neruoſae habitualis nomine inſignire; ſed temere, et ſine omni ratione haec dicta eſſe, nemo inficiabitur. Morboſae huic ner-

nerorum conditioni binas tribuit GIBSON proprietates, quarum altera modo sit impedimento, quo minus nervi rite functiones suas prosequantur; altera modo efficiat, ut iidem facilius ad motum incitari possint. Ex quibus non euidentialius quidem apparet, quaenam conditionis illius sit natura, attamen viam aperiunt, animum ulterius intendendi. Verum enim vero, cum rerum fere plurimarum cognitio nostra adeo limitibus circumsepta sit, nec nobis contingat felicibus, qui in quavis re contemplationi subiecta veritatem ipsamprehendere possimus; fieri nequit, quin ratiocinationum veritas et euidentialia non plane sint indubitatae, praecipue earum, quae de eruendis morborum causis abstrusis et alte reconditis, utpote quas raro, nisi per transfennam videre licet, enunciantur. Qua de causa nullus dubito, quemuis beneuolum facile indulgere vires animi qualescunque intendenti ad causam febris lentae nervosae excutendam, quamuis non omnia quidem cogitata ad summam perduciqueant euidentialiam, sed in rationis probabilitate tantum sint posita, dummodo secum vniuersa cohaereant, nulla vsquam intercurrente repugnantia, necquid dicatur, quod videri possit non satis vero consentaneum. Quodsi autem in hunc campum descendere mens sit, necessarium est, in vias incurrere naturae consentaneas, et cauere, ne vnquam morbi genium, symptomata, decursum, exitumque, causasque occasionales ex oculis amittamus; si enim vnquam, certe ab his euidentialibus causae altius reconditae notitia probabilis est ducenda.

§. XII.

De laesa nervorum firmitate ex alterata eorum nutritione coniectura.

Multiplex, variumque ac multiforme quamquam sit morbi nostri symptomatum fyрма, attamen bifario tantum caractere insigni-

signita videntur. Alia languoris, inertiae, alia nervorum sensilitatis adauctioris speciem in fronte gerunt. Ex illis eminent virium animi deiectio, aegre perficiendus quilibet corporis motus, frequentia suspiria, oscitationes assiduae, depressioris et quandoque vix percipiendi motus febriles, et q. s. r.; ex quibus omnibus indicia fumuntur circuitus humorum languidioris, cui quasi desit adiuuans et promouens, quod alias nervorum systema suppeditare solet. Nervorum itaque agilitas, sensilitas auctior, et impedita, aut alterata solemnis illa conspiratio, inter eosdem et quamvis actionem in corporis oeconomia perficiendam maxime necessaria, et virtus has adiuuandi languida, constituunt, ut mihi quidem videtur, genium febris lentae nervosae. Neque male inde autumavit GIBSON, quae vix adieci: sed quaenam causa utriusque huius nervorum alteratae conditionis? ubi latet? an materialis quaedam in nervis ipsis? quod veri non simile videtur: neque enim vapiditas et lentor fluidi nervei, siquidem nonnulli volunt, in hoc valet, ut iam supra monui; neque in textu nervorum, obstructionibus forsitan infestato, eadem quaerenda est, cum hanc coniecturam nec morbi, nec sanationis historia defendat. Attamen satis superque constat, causam illam nervis proxime esse. An licet ulterius progredi, quam argumento sufficiente firmare possum, et contendere, nervorum nutritionem, quae per vascula arteriosa, velamenta eorum perreptantia, contingit, qualicunque a causa alteratam, causam esse tam vel impediti, vel alterati nervorum influxus in humorum circuitum et digestionem solemnem, quam sensilitatis adauctae? Quae quamquam coniectura meis non extra omnem disputationis aleam ponatur argumentis, tamen neque plane reiicienda, neque indigna videtur, quae altius agitetur.

§. XIII.

An probabilitatem illius suadent febris lentae nerv. initium, decursus, phaenomena, exitus?

Forte aliquis autem obiiciat, rem obscuram per aequè obscuram male illustrari, cum plane ignari adhuc simus, quo modo corporis animalis, praecipue nervorum nutritio succedat: verumtamen compertum habemus, vascula minima arteriosa, velamina nervorum perreptantia, in hoc negotio perficiendo non infimum obtinere locum, veroque simile esse, nervorum robur et firmitatem assidue ab iisdem suffulciri et refici. Quae vascula autem si obstruantur, aut spasmo exagitata constringantur; si malus, viscidus, aut nimis aquosus ex vappidis pravisque cibis et potulentis confectus succus his aduehatur, cui deest omnis debita nervisque respondens nutriens virtus; si nimia et assidua intentione nervi agitentur, celeriusque consumantur, ac nutritionis ope illis robur conciliari et restitui potest: fieri nequit, quin nervi teneri, graciles fiant, et quasi contabescant. Qui deinde ea de causa languidi a functionibus suis sponte, nobisque inuitis, perficiendis desistunt, agilesque et sensiles nimis leuissimo irritamento exagitantur. Sanguis tum demum et humores non satis digesti, inertes, vappidi, effoeti quasi vasa perrepunt, aliamque atque aliam discrasiae conditionem subeunt, cum nervorum virtus illa, qua humorum circuitum, viuidam intimamque mixtionem, digestionem et secessus promouent et adiuuant, est labefactata. Quae febrim excitare possit, materia morbosa abundat quidem; nihilo tamen minus haec sero demum accedat, debilesque et depressi sint motus illius, necessum est; qui quandoque forsan elatiores fiunt, vbi validior causa irritans languidos nervos summopere vellicat, quodque virium adhuc superest, excitat; sed irregulares succussus febriles isti ad exiguum tantum tem-

pus tenent. Nonne itaque haec inter et febris lentae nervosae historiam summa est conspiratio? nonne lento gradu propensente illius ex ortu causam eius generis suspicari licet? nonne phaenomena, nonne progressus illius suadent? nonne humorum alterationes febriculam concomitantes eandem comprobant? Neque exitus morbi salutaris, raro crisis stipatus, quandoque solummodo tempori tribuendus, nostrae hypothese est contrarius, quin potius eiusmodi causam subesse nobis persuadet.

§. XIV.

An eandem suadent causae occasionales?

Confirmatur denique et illa a me credita causa consensu, qui eam inter et febris lentae nervosae occasionales causas est. Quorum enim quotquot ab auctoribus proponuntur, omnes ac singulae eo redeunt, ut ex illis aliae nervosum systema infestent, succutiant, roburque ac firmitatem textus nervorum citius deterant, ac nutritionis illius ope restitui possit: in quo excellent animi intentiones assiduae, puerperia saepius reiterata, eaque laboriosa, intensi labores, vigiliae, lascivia, Venus et q. s. r.; aliae subito concutiant nervos et vestigia sua alte impressa denotent spasticis constrictionibus, quas grauius omnino ferunt vasculorum minora, eaque inprimis, quibus intimum cum nervis est commercium: huc pertinent ira, indignatio, terror, aliaeque animi pathemata; aliae eadem vascula obstruant humoribus tenacioris speciei, aut materia morbosa: huc spectant crudus victus, omniaque, quae humoribus visciditatem inferunt, et metastases, v. c. materiae arthriticae; aliae denique non suppeditent succum bene nutrientem, sed effoetum quasi, vappidum, macrum, ut victus vappidus ex vegetabilibus solis desumptus, et q. s. r. Quae autem cum ita sint, omniaque cum in eo conspirent, ut nervorum illa nutritio alteretur, sane nec temere, nec absque ratione autumari mihi quidem videtur, eadem causa febrim lentam nervosam contineri.

§. XV.

§. XV.

Vltimum probabilitatis argumentum adstruitur.

Haftenus quidem itaque coniecturam non ex mente sola eductam esse, sed ab ipsis rebus prodiisse, et certis naturae phaenomenis accommodari, neminem inficiaturum credo; verum superest, vt necessarium adhuc veritatis, aut si mauis tantum, summae probabilitatis signum addere studeam; id quod in eo consistit, vt hypothese et ratiocinatione ad praxin redacta, morborum curationes iuxta illarum praescripta feliciter succedant. Suntne autem a consilio et ex ratione in febribus illis lentis nervosis formandae indicationes meliores, ac ab illis solummodo causis generalioribus nervorum nutritionem laedentibus petendae? Nonne optimi quique auctores easdem his superstruxerunt? Nonne indicata his causis ipsis ad amissim respondent? Nonne ex voto inde succedit euentus? — Modo attenuantia, incidentia modo, modo emetica et euacuandi et concutiendi scopo, modo quae primas vias leniter euacuant, exhibenda suadent auctorum optimi et plurimi; sed non his solis fidentes, etiam leniora cardiaca, ea, quae cito nervos excitent, quae virtutem labefactatam refocillent, quae spasmis aduersentur, victumque laudabilem, roborantem, reficientem, sine quibus quasi nulla salus sit, maxime necessaria ducunt, quae interponantur. Quid? quod et ii, qui in diuersas curandi vias processerunt, quorum alii nimis, alii iusto minus vesicatoriis fidentes, alii a sola fordium primarum viarum euacuatione opem petentes, alii denique alia ex praeoccupata opinione qualemcunque viam prosequentes, tandem eo conueniunt persuasi, sine conatu nervorum firmitatem restituendi, victuque refocillante et reficiente aegrotis prospiciendi, frustra quaeuis in his tentari. Cum itaque nostra coniectura adeo a sana et rationi consentanea methodo febriculae illi medendi non discrepet, quin potius illi maxime conueniat, nouum fane nec exiguum pondus, quam proposui, hypothesis consequitur.

THESES.

I.

*P*etechiae non semper sanguinis dissoluti signum prae se ferunt.

II.

Contagium primo in nervos agere, horumque functiones laedere videtur.

III.

Sanguinis putredo non semper pro causa proxima febris putridae contagiosae habenda.

IV.

Vesicatoria in febrium putridarum vigore haud conueniunt.

V.

Cortex peruuanus et Camphora non in quavis putridarum febre vel quouis eiusdem stadio eodem successu adhibentur.

VI.

Emetica etiam in febribus simplicibus putridis magna cum utilitate adhiberi possunt.

VII.

VII.

Non dantur dysenteriae remedia prophylactica, sed therapeutica.

VIII.

Sola bilis acrimonia, vel colluies primarum viarum, rheumate non adiuta, dysenteriam non facit.

IX.

Icterus chronicus potatorum potentiora resoluentia non fert.

X.

Difficilius soluuntur secundinae in parte uteri anteriori haerentes, quam in vlla alia parte.

XI.

Materia electrica in corpore animali electricitatis ope non procreatur, sed modo augetur.

XII.

Non dantur nerui sentientes et mouentes.

VII

Non duntaxat delectatione verum et propriis laetitia sed et

VIII

Sola hinc delectatione et collatione plurimum videtur
etiam in rebus, quod inter se non facit.

IX

Item delectatione et collatione plurimum non facit

X

Delectatione plurimum facit et in parte et in toto
delectatione et in parte et in toto

XI

Delectatione et collatione in corpore animalis et in parte
delectatione et in parte et in toto

XII

Non duntaxat delectatione et collatione



